



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positus, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. XXI. De Testinus cogendis, vel non.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

T I T V L V S XXI.
DE TESTIBUS COGENDIS,
VEL NON.

Actum est Titulo præcedente de testibus, eorumque attestacionibus, sed quia dubitari potest, utrum testes ad testificandum compelli possint, ideo hic Titulus priori subjungitur.

S. I.

Quando, & in quibus causis, ac quomodo testes compelli possint ad ferendum testimonium?

I.

SERTIO I. Si testes rogati, vel vocati ad perhibendum testimonium, illud ferre nolint, possunt à Judice ordinario, vel ejus delegato ad id compelli, & quidem utroque Jure, tam Civili, quam Canonico, in causis pecuniarijs, seu civilibus ordinariè, & regulariter; ut de Jure civili constat ex l. Si quando; 19. in princ. & ibi Gl. V. Invitos. & Auth. seq. C. de testib. & de Jure Canonico, toto Tit. de testib. cogendis. & est communis DD. sententia apud Gail lib. 1. obs. 100. in princ. Farinac. tract. de testib. q. 78. n. 3. idque receptum est, tum ob publicam necessitatem, ac utilitatem, ne veritas occultetur, & malus, ut bonus aestimetur; ut dicitur in Can. 2. caus. 14. q. 2. Gl. inc. 1. V. Occultant. h. t. tum quia ferre testimonium est unum ex muneribus, seu actibus publicis, & necessarijs. Arg. l. 1. ff. de testib. ad hujusmodi verò munera, & actus etiam invitus cogi quis potest. Gail c. l. n. 1. & 2. Farinac. num. 4. & 5.

II. Porro, testes tum demum cogendi sunt ad ferendum testimonium in causa civili, si prius moniti sint, & nullâ allegatâ causâ justâ id renuant; vel si ex odio, vel gratia, vel timore à testificando subtrahant, ut constat ex c. Causam; 1. h. t. Nam, cum quædam causa, seu quæstio matrimonialis verteretur inter quandam mulierem, & virum, causam eam Papa Alexander III. commisit quibusdam Judicibus, mandans Episcopo ejus loci, ut testes, qui ab utraque parte rogati, ac producti fuerint, diligenter moneat, & inducat, ne veritatem occultent. Sin autem ex odio, gratiâ, vel timore se subtrahant, vel testimonium ferre nolint, ipsos ad illud ferendum, coram Judicibus delegatis, vel eorum nuncio, quem ad recipiendas depositiones testium miserint, per censuram Ecclesiasticam compellat.

III. Ubi notandum primò. Testes in causa civili, vel etiam matrimoniali non debent statim compelli, sed prius moneri, & induci ad ferendum testimonium, nisi eorum testimonium necessarium sit; quia veritas aliter, quam per ipsos probari non potest:

tunc enim etiam sine prævia monitione, testes cogi possunt ad testificandum sub comminatione censura, si nolint. Abb. hic n. 2. Farinac. cit. q. 78. n. 56. vel nisi amore, aut favore unius partis, vel odio, & timore alterius partis, se subtrahere velint à testimonio ferendo; ut habetur in cit. c. 1.

Notandum secundò. Judex potest etiam in causa matrimoniali receptionem, & examiné testium committere alteri; idque vel tanquam Judici, seu cognitori, ita, ut citet adversarium ad videndum, jurare testes, depositiones eorum recipiat, & examinet, aliisque similes actus jurisdictionis exerceat: vel ut committatur solùm tanquam nuncio, seu ministeriali executori, ut receptis jam prius attestacionibus, & exacto à testibus juramento, solùm eos examinet super interrogatorijs jam formatis; ut notavit Abb. hic n. 1. not. 3. ubi addit, quòd in casu hujus c. Papa Ordinatio præceperit, ut testes cogat ad ferendum testimonium, & non alicui ex delegatis, qui æquè hoc facere potuisset, juxta c. Præterea; 5. de offic. deleg. id factum esse; quia fortè per Ordinarium id meliùs, & efficacius fieri poterat: ob quam causam etiam interdum mandatur Ordinario loci, ut sententiam latam à delegato Papæ exequatur, licèt hic quoque eam per se exequi possit. cap. Significasti; 7. & in c. Literis; 9. de off. deleg.

IV. Similiter in c. Ceterum; 6. h. t. dicitur non esse dubitandum, quòd testis productus super consanguinitate probanda cogendus sit ad ferendum testimonium, si constet, ipsum ex gratia (unius partis) vel odio (alterius) vel ex timore, veritatem supprimere velle: cum id tam Jus scriptum (Canonico, & Civile. Gl. hic V. Scriptum) approbet, quam consuetudo actibus utentium recepta, seu approbata.

Notandum primò. Si testis rogatus, aut monitus testificari nolit, eo ipso in causis civilibus præsumitur, quòd propter pravam aliquam affectionem velit veritatem celare, seu suppressere; idcoque statim compelli debet ad testimonium ferendum, nec requiritur alia probatio, nisi justam causam excusationis alleget, vel constet, quòd per alios veritas probari possit; ut notat Gl. in c. 1. V. Timore h. t. & ibid. Abb. n. 5. & 6. Gl. in cit. cap. Ceterum. V. Confiteri.

Notandum secundò. Oritur hujusmodi præsumptio doli, seu malitiæ adversus testem, si testimonium ferre nolit, nisi ea præsumptio per aliam elidatur: ut si sit Religiosus, vel alia persona pia, quæ judiciale juramentum facere veretur, non quòd jurare secundum

candum se illicitem arbitretur, sed ob reverentiã juramenti; quia æstimat rem sublimem; & tremendam esse, quod homo in testimonium sui dicti Deum invocet: quæ ratio, spectatã qualitate personæ, quandoque rationabilis censeri potest, ut ad jurandum non cogatur, si veritas per alios cognosci queat. *Abb. in cit. c. l. n. 5. & in c. Ceterum; in fine, h. t.* Quare non est hic sermo de timore orto ex reverentia juramenti, sed de timore personæ, à qua testis timet sibi malum inferendum, si contra eam testimonium dixerit: ideo testis in odium metum inferentis statim cogendus est, ut contra illum testificetur; ut ex dictis patet.

V. Præterea in c. *Super eo*; 3. h. t. rescribit Papa Alexander III. Si quis conveniatur coram Judice super commisso crimine; & ipse factum neget: tum vel factum est notorium; & non est opus testium depositionibus; quia notoria probationem, vel ordinem judiciarium non requirit. Vel factum non est notorium; & tunc testes, qui interfuerunt, si Reus factum neget, monendi sunt, ut veritatem dicant, non autem cogendi (scilicet à principio; & quia prius sunt monendi, & postea cogendi. *Gl. hic in V. Non cogendi*) nisi Judex cognoverit, eos timore adversæ partis à ferendo testimonio retardari: quamquam secundum humani (id est, civilis) juris rigorem (in causis civilibus. *Gl. fin. hic*) indistinctè cogi possunt ad testificandum.

VI. Notandum hic primò. Notoria non egent probatione, ut processu Judiciali. *cap. Tua*; 8. de *cohabit. Cleric. & mulier. & c. De manifesta*; 17. *caus. 2. q. 1.* idque procedit, sive pars neget, sive confiteatur factum, seu crimen; quia negatio partis non inficit notorium, seu reddit rem dubiam; ut ait *Abb. hic n. 1.* Et quidem hoc verum est, maximè in criminibus: aliud verò est in contractibus, in quibus servari debet ordo Judicialis; quia, quamvis notorium sit, contractum esse initium, plerumque tamen non constat aliis, præter contrahentes, quã formã, vel modo sit initus: ideoque, si pars altera neget, ita contractum esse, audiri debet, & admitti ad probationes, vel exceptiones suas proponendas. *Innocent. in cit. c. Tua*; n. 6.

Notandum secundò. De Jure canonico testes prius monendi sunt, ut ferant testimonium; sin autem renuant, non debent cogi, nisi timore partis adversæ ab eo revocentur; ut constat ex *cit. c. Super eo*. At verò spectato Jure civili, testes laici ordinariè possunt compelli ad testificandum, non tantum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus; ut tradit *Gl. in l. Si quando*; 19. *V. Causis. C. De testib.* nam, cum quidam excusentur, ut inviti non dicant testimonium; juxta *l. 4. §. 8. C. eod.* sequitur, omnes alios compelli: idque etiam colligitur ex *cit. c. Super eo*; in fine. ubi dicitur, quòd de humani juris rigore ad hoc passim, id est, indistinctè compelli possunt; quia nimirum de Jure civili non fit distinctio inter causas civiles, & criminales, sed in utrisque testes compelli possunt ad testificandum. *Abb. hic n. 3. Farinac. cit. q. 78. n. 196.* Ubi adfert rationem diversitatis inter Jus canonicum, & civile, quia hoc respicit interesse Reipubl. ut malis hominibus provincia purgetur, ideoque compellit testes etiam in criminibus ad testificandum. Canones verò respiciunt periculum animæ, quod per coactionem incurri potest.

VII. Assertio secunda. Testes, sive sint Clerici, sive etiam laici; si coram Judice Ecclesiastico agatur; possunt ad testificandum cogi (si eorum testimonium sit necessarium; quia veritas aliter haberi non potest) per comminationem censura Ecclesiasticæ; seu ipso facto, seu per sententiam incurrendæ: nempe per censuram suspensionis ab officio, & beneficio; aut interdicti, dummodo præcesserit aliqua inobedientia; vel contumacia: postea verò crescentè contumaciã, potest Judex procedere ad excommunicationem; ac denique etiam ad pœnam depositionis infligendam; prout constat ex c. *Cum super*; 2. h. t. in qua Papa Alexander III. scribit ad Presbyteros Ponticæ, eisque mandat, cum ipsorum testimonium necessarium sit in causa; quæ agitur inter Episcopum Prænestinum, & Abbatem Sublacensem, ut ad Sedem Apostolicam accedant, testimonium perhibitori veritati; si verò non venerint, censuram suspensionis ab officio, & beneficio Ecclesiastico incurrant ipso facto; & si nec postea accesserint, sententia excommunicationis; ac depositionis eisdem inferenda erit.

VIII. Ubi notandum primò. Omnino conveniens est, ut Judex Ecclesiasticus adversus testem contumacem, si citatus ad testimonium ferendum parere nolit, prius procedat per censuram suspensionis, aut interdicti: postea verò, si in contumacia persistat, ad excommunicationem, ac denique ad pœnam depositionis; ut constat ex *eod. c. 2. h. t.* quia crescentè contumaciã, & pœna crescere debet. *Gl. ibid. V. Depositionis. Imol. n. 4. Felin. in summ. n. 2.*

Notandum secundò. Si agatur coram Judice seculari, non sunt testes ad certum tempus, & locum citati; si in termino præfixo non compareant, compelli ad testificandum, impositã eis multã pecuniaria, vel captis pignoribus. *Gail. l. 1. cit. obs. 100. n. 10. Farin. c. l. n. 37. & alii apud ipsum.*

IX. Assertio tertia. Ad testimonium ferendum potest aliquis compelli, etiam si juraverit, se testimonium non perhibiturum; ut constat ex c. *Intimavit*; 18. & c. *Constituit*; 45. *supr. de testib.* quia lex charitatis obligat ad testimonium ferendum pro proximo; imò etiam lex justitiæ, si superior ita jubeat, dummodo is jus habeat testes examinandi, seu iudicè, & legitime interroget, si agatur de causa criminali; ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 90. a. 1. in corp.* Cum itaque testimonium denegari non possit, absque peccato, & quidem ex genere suo mortali, sequitur, quòd juramentum de non ferendo testimonio, seu celanda veritate, non sit obligatorium, nec servandum; ut etiam dicitur *supr. tit. præced. n. 177.* & consequenter nec infamiam irrogat non servanti; & potest jurans propriã auctoritate contravenire. *Gail. cit. obs. 100. n. 3.*

Idque etiam sumitur ex c. *Pervenit*; 4. h. t. ubi habetur, quòd, cum Prior S. Laurentii de Simonia, & adulterio accusatus fuisset, aliquem, qui ab accusatore producendus erat in testem, juramento astrinxit, ut non deponeret contra ipsum. Hoc intellecto, Papa Alexander III. rescripsit, cum nemo adversario suo subtrahere debeat instrumenta, quorum appellatione etiam testes comprehenduntur: & cum tam ille, qui instrumenta adversario subripit, quàm is, qui adversario parem defensionis

» fionis copiam subtrahit, iniquam se causam, seu
» litem fovere, ostendat, ideòque experiri debeat, Ju-
» dicis à se auctoritatem elusam esse: propter hæc
» testem illum ad detegendam fraudem, & callidi-
» tatem Prioris, compelli debere, ut testificetur.

X. Notandum hic primò. Si accusatus de crimine v.g. Simoniz, vel adulterii, ut in casu hujus c. aliquem juramento obligavit, ne contra ipsum deponeret, is cogendus est, ut testificetur, non obstante juramento, idque in odium fraudulenti acculati: nam tale juramentum temerarium, & illicitum est, cum sit contra bonos mores, & publicam utilitatem: quia expedit peccata nocentium nota esse, ne maneant impunita. *Gl. hic V. Juramento adstrinxit; & in c. Constitutis; 45. V. Non teneri; supr. de testib. Abb. hic n. 2. in fine.* Ex quo patet, quòd, licet aliàs testes non possint cogi ad testificandum in causa criminali, ut infra dicitur; tamen etiam in tali causa non possunt testes juramento constringi ad non deponendum; quia id malum est, & illicitum. *Abb. hic not. 1.*

Notandum secundò. Qui adversario suo copiam probationis, aut defensionis subtrahit, causam iniquam se fovere ostendit, præsumptivè scilicet, ut notat *Gl. hic V. Ostendit; & Judicis auctoritatem eludere velle censetur; quia facit, ut Judex in causa, prout oportet, instrui non possit. l. Prostrandum; 7. C. De postulando. Gl. hic V. Elusum.*

Notandum tertio. Nomine instrumentorum in lata significatione continentur etiam testes, quia per eorum dicta Judex in causa instruitur; ideòque meritò etiam appellari possunt instrumenta, ut hic: propriè autem, ac strictè loquendo, testes, & instrumenta sunt diversæ probationes; quia instrumenta propriè sunt scripturæ authentica. *Abb. hic num. 1. not. 2.*

Notandum quartò. Testis juramento obstrictus ad non deponendum contra aliquem, compelli debet nihilominus testificari, non tantum super fraude commissa, sive malitiosa inductione ab adversario facta ad non testificandum; ut vult *Gl. fin. hic*, sed etiam super ipsa causa principali; quia, si testis insuper de crimine deponat, tunc efficaciter detegatur fraudis, & calliditatis commentum; ut dicitur in fine hujus c. & apparebit, quòd Rens, celandi criminis causâ, testem malitiosè induxerit ad jurandum, se non testificaturum contra ipsum. *Abb. hic n. 2.*

§. II.

An, & quando testes possint cogi ad ferendum testimonium in causis criminalibus?

XI. Assertio prima. In causis criminalibus, quando agitur directè ad pœnam publicam, testes etiam laici non coguntur ordinariè testimonium dicere, spectato Jure Canonico; ut docet *Innocent. in c. 1. n. v. h. t. & ibid. Abb. n. 6. Imola n. 2.* & est communis Canonistarum sententia, teste *Farinacio tract. de testib. q. 78. n. 115. quamvis Hostiens. in summa n. 2. h. t. Zoes. n. 2. eod.* & plures alii contrarium teneant, etiam in causis criminalibus testes cogi posse ad dicendum

testimonium. Sed negativa probari videtur ex *c. Dilectorum; 10. h. t. ut explicat Gl. ibid. V. Super criminibus*: Ubi habetur, quòd Capitulum Vulturnense ex altera, litigabant per procuratores in præsentia Papæ constituti: mandat igitur Honorius III. quibusdam delegatis, ut testes, qui producti fuerint, præterquam super criminibus (si se gratiâ, odio, vel timore subtraxerint) per censuram Ecclesiasticam cogant, ad perhibendum testimonium veritati. Ratio autem, cur criminibus non sint cogendi testes ad testificandum, est; tum quia, quando agitur de condemnatione alicujus, etiam occultetur veritas, nulli ex hoc speciale damnum inficitur: vel, si immineat periculum accusatori, non est curandum; quia ipse in hoc periculum sponte se ingessit; alia autem ratio est de Reo, cui periculum imminet, eo nolente, ut ait *S. Thom. 2. 2. q. 70. a. 1. in corp.* tum quia in causa criminali non præsumitur, quòd testis gratiâ, odio, vel timore se subtrahere velit, sicut id præsumitur in causa civili: ideòque in hac testis plerumque cogi potest ad testificandum, non item in illa, Tum quia ex tali testimonio inimicitia, & odium incurri potest inter testes, & accusatum; & ideo, quia verituti hic periculum animæ, & peccati, SS. Canones neminem regulariter cogunt ad dicendum testimonium in causa criminali contra Reum: leges verò civiles cogunt; quia respiciunt præciè interesse Reipubl. ut scilicet malis hominibus provincia purgetur. *Farinac. c. l. n. 196.* Tum denique quia aliquo modo inhumanum est ad pœnam hominis, præsertim mortis, aut mutilationis membrorum, cooperari testificando. Quare secundùm Canones irregularitas ex defectu lenitatis, ob testimonium litum in causa sanguinis, incurritur: ideòque Clerici, præsertim in SS. Ordinibus constituti, vel etiam laici, qui ad Clericatum aspirant, minus, quam alii laici, cogendi sunt ad ferendum testimonium in causa criminali. *Farin. c. l. n. 199. & n. 202.* Et hanc esse communem expositionem hujus c. ait *Farinac. hic in summano, & n. 3.*

XII. Assertio secunda. Multò minus testes cogi possunt ad testificandum de crimine occulto, de quo ex indicis nulla publica suspicio est, sive aliqua infamia non præcessit, quamvis fortè duobus, vel tribus cognitum fuerit, nisi crimen perniciosum sit. *S. Th. c. l. Laym. l. 3. Theol. Mor. tract. 6. c. 2. n. 9. Farin. c. l. n. 121. & seq.* Secundò, si alicui crimen sub sigillo secreti patefactum sit, consilii, vel auxilii petendi causâ, ad salutem animi, vel corporis miser delinquentis, v.g. medico, advocato, obstetrici, viro docto, vel valde amico; tunc non potest is cogi ad id confirmandum suo testimonio; quia alioquin miseris hominibus omne justam solatium, consilium, aut remedium præcluderetur. *Less. lib. 2. de justit. c. 30. dub. 6. n. 45. Molin. tract. 4. de justit. disp. 5. n. 3. Laym. c. l.* Excipi debet, nisi crimen occultum ex alio capite, & aliunde esset cognitum, ut quia socius criminis, vel alius casu interveniens juratus promissio se nullo casu id revelaturum: tum enim eâ promissione non potuit præjudicare publico Magistratui, quò minus eum cogere possit ad manifestandum crimen. *Molin. c. l. n. 8. Laym. c. l.* Secus est, si quis criminis quod jam merè præteritum est, neque in futurum perniciosum,

perniciosum, noticiam accepit ab ipso criminoso, cum pacto servandi secretum: tunc enim non potest cogi ad manifestandum illud, sive testificandum de illo: quandoquidem etsi pactum reticendi crimen non intervenisset, tale crimen non fuisset cognitum, sed omnino occultum mansisset; adeoque neque Juridica interrogatio de eo fieri potuisset: cum ergo tale pactum in se sit iustum (nam de jure naturali est servare fidem secreti; ut docet *S. Thom. c. l. in resp. ad 2.*) probabilius est, non posse Judicem præcipere alicui manifestationem talis criminis secreti, *Mol. c. l. n. 3. Laym. c. l.* Tertio, non potest quis cogi testificari, si noticiam delicti, vel alterius secreti per injuriam accepit, v. g. litteras illius aperiendo, vel hominem per vim injustè illatam cogendo ad revelandum; tunc enim nec Judici interroganti id manifestare potest; quia non solum ex voluntario pacto, sed etiam ex delicto contrahitur obligatio justitiæ, ne quis damnatum alicui datum extendat, sed potius quatenus fieri potest, refarciat. *Molin. c. l. num. 5. Laym. c. l.* Quarto, non potest quis cogi ad testificandum, si sciat factum Titii, de quo interrogatur, nullum peccatum continere; adeoque neque ulli peccata esse obnoxium; ut si ex ignorantia inculpabili hominem, putans, esse feram, occidit, vel si rem alienam abtulerit ex valde gravi necessitate: nam interrogatio Judicis supponit, commissam esse culpam: unde interrogatus rectè negare potest, factum Titii sibi esse notum. *Less. l. 2. c. 30. n. 50. Laym. c. l.* Quinto, si ex testificatione alicui, vel suis notabile damnum immincat, non tenetur testificari, nec ad id cogi potest; quia nemo tenetur hujusmodi officia præstare cum gravi suo damno, nisi crimen sit publico bono noxium, quod aliâ ratione impediri non potest. *Less. c. l. n. 50. Laym. c. l.* Denique, si quis habeat delicti noticiam ex confessione Sacramentali, nullo modo debet, nec potest testimonium ferre; quia hujusmodi non scit, ut homo, sed tanquam DEI Minister, & majus est vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto; ut ait *S. Thom. c. l. in resp. ad 2. Less. c. l. n. 45.*

XIII. Ceterum plures sunt casus, in quibus etiam in causis criminalibus testes compelli possunt ad testificandum. Veluti primò, si veritas aliter sciri, vel cognosci non possit, etiam testes non se subtrahant gratiâ, odio, vel timore, cogi possunt ad ferendum testimonium, cum Reipubl. interfit crimina sciri, ne maneant impunita. *Innocent. in c. 1. n. 1. h. t. & ibid. Abb. n. 6. Imola n. 1. Farinac. cit. q. 78. n. 124.* Idque sumitur ex *c. Pervenit; 5. h. t.* Ubi ex Papa Clemente III. quæsitum fuit, cum aliquando accidat, ut Clericis à laicis enormis injuria inferatur, multis præsentibus, & videntibus: & si læsi eos in Judicium trahant, ut Reos, ipsi negent, se tale facinus commisisse: & cum Clerici per illos, qui præsentibus erant, id probare desiderant, ipsi testimonium ferre recusent. Ad hoc generaliter respondit Papa, quòd hi, qui de rebus, seu causis Ecclesiasticis testificari recusant, si aliter veritas cognosci nequeat, per censuram Ecclesiasticam sint compellendi.

Ubi notandum primò. Clericus ob injuriam personalem sibi illatam à laico, potest illum convenire etiam coram Judice Ecclesiastico; quia est species Sacrilègi; adeoque crimen mixti fori, juxta

Cum sit; 8. de foro compet. Ex quo sequitur, quòd etiam testes laicos compellere possit ad testificandum pro Clerico, si eorum testimonium sit necessarium; quia aliàs veritas sciri non potest. *Abb. hic n. 1. not. 2.*

Notandum secundò. Nominè rei Ecclesiasticæ hic intelligitur persecutio injuriæ Clerico illatæ; quia talis injuria est crimen Ecclesiasticum, ratione personæ, cui infertur. *Gl. hic V. Ecclesiasticis: & Innoc. hic,* ubi ait, id inductum fuisse in favorem Clericorum, ne delicta laicorum maneant impunita. Cum autem hic dicitur, in rebus Ecclesiasticis cogendos esse testes ad testificandum, supplendum est *maximè* in iis, de quibus quærebatur, quamvis quoad hoc idem sit in aliis, sive sit causa criminalis, sive civilis. *Abb. hic in fine.*

XIV. Excipitur secundò. Si testes malitiosè se subtrahant à ferendo testimonio, aut pars adversa malitiosè impediatur productionem testium, tum cogi possunt non tantum in civilibus, sed etiam criminalibus causis. *Innocent. in c. 1. n. 1. & n. 5. h. t.* Idque sumitur ex *c. Super eo; 3. h. t.* ubi dicitur: qui interfuerunt crimini commissò, non sunt cogendi ad testificandum, & veritatem dicendam, nisi Judex intelligat, adversæ partis timore eos à testimonio ferendo revocari; tunc enim in odium partis compelluntur. *Abb. ibid. in princ. & n. 2. Imol. in princ. & n. 2. Farinac. c. l. n. 126. & 130.* ubi tamen id limitant, quòd testes etiam in causa criminali sint compellendi, si se subtrahant à testimonio ferendo, odio, vel timore adversæ partis; non item, si amore partis; quia nolunt illi nocere; ut colligitur ex *cit. c. Super eo,* ubi nulla fit mentio de amore, sed de timore tantum partis adversæ, quòd tunc sint compellendi.

XV. Idem etiam probatur ex *c. Cum contra; 9. h. t.* Ubi habetur, quòd M. Rudolphus dicebatur falsas litteras à Sede Apostolica impetrâsse, eisque per se, vel per procuratorem usum fuisse: unde quæsitum fuit, num testes producti super hoc crimine falsi, compelli debeant ad testificandum?

Respondit Papa Innocentius III. quòd, si isti testes se gratiâ, odio, aut timore subtraxerint, per censuram Ecclesiasticam, appellatione remotâ, debent compelli, ad perhibendum testimonium veritati. Porro, quamvis in hoc c. specialiter fiat mentio tantum de crimine falsi; quia de eo casus propositus fuit; idem tamen obtinet generatim in aliis etiam criminibus. *Abb. hic in fine. Farinac. c. l. n. 70. & seq.*

Verumtamen notandum hic est discrimen inter causam civilem, & criminalem: nam in causa civili, si personæ non privilegiatæ testificari nolint, probare debent, se justam causam habere recusandi, & veritatem per alios testes sciri posse: alioqui enim ex ipsa testimonii recusatione præsumitur, quòd se fraudulenter, & malitiosè subducant. At verò in causa criminali talis præsumptio non habet locum contra laicum testificari recusantem; sed, ut cogatur, intentio illa malitiosè se subtrahendi, aut quòd testimonium illius sit necessarium, probari debet saltem per conjecturas. *Imol. in cit. c. Super eo; num. 5. h. t. Farinac. c. l. n. 128.* Hæc autem procedunt secundum Jus Canonicum, nam de Jure Civili testes laici etiam in causa criminali ordinariè compelluntur. *Arg. cit. c. Super eo; in fine, & dictum supra.*

XVI. Ex-

XVI. Excipitur tertio. Si de crimine agatur per modum inquisitionis, ne indignus v. g. ad Prælatum promoveatur, tunc etiam testes compelli possunt ad testificandum; prout fumitur ex c. *Super his*; 8. h. t. nam, cum aliquis electus fuisset in Episcopum Lucensem, Canonici quidam se opposuerunt, obijcientes ei crimina, & super hoc litteras nomine majoris, & sanioris partis Capituli, destinatas ad Papam miserunt. Quare Innocentius III. commisit quibusdam, ut tam super famam electi, quam super his litteris inquisitionem instituant, & testes, qui producti fuerint, cogant dicere veritatem. Ratio est; quia, quando agitur per viam inquisitionis, Judex procedit ex officio suo, & non, nisi præcedente infamia criminis: adeoque compellendi sunt testes ad dicendam veritatem; alioqui enim esset peccatum, si tacita veritate, eligeretur ad Prælatum, vel aliam dignitatem indignus, cum populi scandalo. *Innocent. hic V. Cogatis; & Hostiens. V. Litteris. Farinac. cit. q. 78. n. 153. & duobus seqq.*

XVII. Pari ratione testes cogi possunt ad testificandum, si agatur per modum denunciationis charitativæ, aut canonicæ ad impediendum peccatum, vel paternè puniendum, & corrigendum. *Innocent. in c. 1. n. 3. h. t. Farinac. c. l. n. 106.* aut, si agatur ad tollendum animæ periculum, v. g. si quis jubeatur deponere de incestu cum duobus consanguineis, in primo, vel secundo gradu, eo sine tantum, ut matrimonium cum altera impediatur, aut dissolvatur contractum, tanquam irritum, de quo videri potest. *Sanch. lib. 3. de matrim. dif. 13.* Item, si agatur de crimine civiliter ad restitutionem, sive damni illati compensationem, testes etiam cogi possunt ad testandum. *Innocent. in cit. c. 1. n. 5. Farinac. n. 159.* Vel si agatur de crimine, non directè ad pœnam, sed per modum exceptionis, ad repellendum Actorem, vel testem à Judicio, vel testimonio; tunc etiam in criminalibus causis testes coguntur testificari; quia tunc peccatum esset, in alterius præjudicium tacere veritatem. *Innocent. in c. Cum contra; 9. Versic. Sed norma; h. t. Farinac. c. l. n. 163.* & alii apud ipsum. Idemque est, si in causa criminali testis producatur à Reo ad innocentiam ejus probandam; tunc enim etiam compelli potest ad veritatem dicendam, ne innocens condemnatur. Et universim loquendo, quando sine gravi peccato celari veritas non potest, cogendi sunt testes, etiam in criminalibus, dicere veritatem. *Innocent. in cit. c. 1. n. 4. h. t. Farinac. c. l. n. 157.* Tunc autem peccatum est celare veritatem, quando ex eo, quod testis testimonium ferre recuset, consequitur quis sententiam damnosam, vel amittit lucrosam: adeoque, quando agitur de magno damno, vel lucro proximi, vel adversarii, testes coguntur testimonium ferre. *Innocent. in c. Cum contra; 9. in fine h. t. Farinac. c. l. n. 157. & seqq.*

XVIII. Alius præterea casus exceptus, in quo testes compelluntur testificari, est, quando agitur de crimine conjurationis, seu conspirationis subditorum contra Prælatum suum; tunc enim testes compelli possunt ad manifestandam conjurationem, etiam si juraverint, non manifestare illam; ut constat ex c. *Venerabilis*; 11. & ult. h. t. Ubi habetur, quod Civis Cervicenses, cum duobus Clericis Ecclesiæ Ravennatensis conjurarunt contra Archiepi-

scopum Ravennatensem, dantes eisdem Clericis quandam pecuniæ summam, & ad hoc celandum sub juramento se astrinxerunt. Postea vero Archiepiscopus litteras impetravit, super his, & aliis quibusdam Articulis, à Sede Apostolica ad Judices delegatos: coram quibus, cum intentionem suam probare non posset, nisi per testimonia dictorum civium, qui jurarunt, se nihil revelaturos: adeo, ne ob defectum testium justitiæ causæ suæ periret, Archiepiscopus supplicavit Honorio III. ut sibi super hoc provideret. Quare Papa scribit ad Judices delegatos, eisque mandat; ut præmissa mentione, per censuram Ecclesiasticam, remota appellatione, compellant eos, quos judicaverint compellendos, ad absolvendos testes, quos ad testimonium ferendum Archiepiscopus produxerit, à juramento præstito: & deinde eosdem testes, si gratiâ, odio, vel timore se subtraxerint, similiter per censuram compellant ad perhibendum testimonium veritati, seu deponendum super conjuratione factâ, non obstante juramento. *Farinac. cit. q. 78. n. 189.* & alii apud ipsum.

Ubi notandum primò. Qui juravit, se testimonium non dicturum in Judicio super crimine aliquo; ut in casu hujus c. super conspiratione contra Archiepiscopum: si postea ejus testimonium necessarium sit ad probandum crimen, etsi non sit absolute necessarium, ut priùs absolvarur à juramento; quia illud non tenuit, quippe vergens in dispendium salutis æternæ, & quod sine peccato servari non potuit, cum conspirationes hujusmodi sint illicitæ: constitutum tamen est, ut Judex priùs declaret, tale juramentum non valere; vel juramentum ad cautelam, & majorem securitatem priùs absolvat, ne videatur perjurum ad actum testimonii admittit, ita, ut minor fides ejus dicto adhibenda sit. *Gl. hic V. Juramentum absolvant.*

Notandum secundò. In defectum legitime probationis, minus idonei testes admittuntur, qui aliâ non adhibentur: ut in casu hujus c. ad probandam, & detegendam conspirationem, admittuntur testes criminosi, ut socii, seu participes criminis, & qui confessi sunt de se crimen: qui etiam tenebantur conspirationem illam manifestare, & denunciare. *Gl. hic V. Eodem. Abb. n. 2.*

XIX. Denique excipi etiam debent crimina excepta, & in futurum perniciofa, ut hæresis, Majestatis, hæresis, Simonia &c. in quibus indifferenter possunt cogi laici ad testificandum; quia nequeunt sine periculo dissimulari, & reticeri. *Innocent. in c. 1. n. 5. h. t. Io. Andr. in c. pen. n. 9. eod. Farinac. c. l. n. 150. & seqq.* apud quem plures limitationes videri possunt.

§. III.

De personis privilegiatis, quæ ad testimonium ferendum cogi non possunt.

XX. Assertio I. Plures sunt personæ, quæ privilegio ad testimonium ferendum ordinariè non coguntur, de quibus in l. *Invisi*; 8. ff. de testib. & c. *Si testes*; 3. §. *Invisi*; & caus. 4. q. 3. videlicet senes, qui sunt majores LXX. annis. *Gl. ibid. V. Invisi.* valentis

dinatij, qui morbo detinentur: quamvis *Gl. in c. Si quis; 8. de testib. V. Valetudinarij;* velit, quod ad senes, & infimos Judex debeat mittere Notarium, ad testimonium eorum recipiendum; possit autem eos compellere, ut examinentur, ac deponant in eorum domiciliis. *Abb. ibid. n. 7.* ubi tamen addit, quod cessante necessitate (quia alij testes haberi possunt) majores 70. annis non possint cogi ad testificandum: item milites, qui sunt in expeditione bellica, cogi non possunt: & qui Reipublice, aut ex alia necessaria causa absunt: vel aliter legitime impediti sunt, quod minus ad testimonium ferendum comparere possint. *cit. l. Inuiti; Farinac. tract. de testib. q. 78. num. 59. & pluribus seqq.* Id verò extenditur, ut neque in causis criminalibus, neque civilibus, huiusmodi privilegiati cogi possint ad ferendum testimonium; quia simpliciter, & generatim *cit. Lex Inuiti; 8.* loquitur; ut tradit *Gl. in l. Julia; 4. V. Denunciatur; ff. de testib. & alij apud Farinac. c. l. n. 99.* volentes tamen admittuntur ad testificandum; cum nemo uti suo privilegio cogatur; sed illi renunciare possit. *Gl. in cit. l. Inuiti; V. Non licet; in fine; & alij apud Farinac. c. l. n. 101.* In autem inviti contra jus cogantur; testimonium eorum non valet, siue contra alium, siue pro eo deponant; quia, si valeret, pro utraque parte valeret. *Gl. in cit. l. In lege; V. Denunciatur; Farinac. c. l. n. 100.*

XXI. Verumtamen in defectum aliorum, si nimiam veritas aliter, vel per alios testes cognosci non possit, etiam privilegiati coguntur testificari. *Abb. in c. 1. n. 4. h. t. Farinac. n. 108. & alij apud ipsum: idque lumitur ex c. Quamquam; 2. caus. 14. q. 2. ubi dicitur, Sacerdotes non esse vocandos ad testificandum in negotiis secularibus, nisi ubi nulla idonea secularium inveniatur persona; ne veritas occultetur; ubi *Gl. V. Occulterur; ait, istud esse regulare, quod in defectum probationum quilibet possit cogi: quia tunc favore erudat veritatis; eorum privilegium cessat; cum publica utilitas, quae in perhibendo testimonio veritati versatur, merito praeponderare debeat. Gail. cit. obs. 100. n. 15.* Item, si ostendatur, quod malitiose se subtrahant, videlicet odio, favore; vel timore unius partis, etiam privilegiati compelli possunt ad testificandum, licet id non praesumatur in ijs, sicut in non privilegiatis praesumitur hoc ipso, quod moniti non comparent ad testificandum. *Farinac. n. 106.* Quare inter personas privilegiatas, & non privilegiatas hoc est discrimen, spectato Jure Canonico, quod privilegiatus non cogatur testificari, nisi probetur testimonium eius necessarium esse; ne alioquin jus partis periclitetur; vel nisi ostendatur, quod malitiose se subtrahat: nam praesumitur se subtrahere non malitiose, sed nixus suo privilegio: idcirco asserenti contrarium incumbit onus probandi. At verò non privilegiatus, si nolit testimonium ferre, ostendere debet, se justam causam excusandi habere; & testimonium illius necessarium non esse; quia per alios veritas cognosci possit; neque subtrahere se malitiose à testimonio ferendo; cum alias sit contra ipsam praesumpcio. *Abb. in cit. c. 1. n. 4. h. t. Farinac. cit. n. 106.**

XXII. His addendum primò. Si privilegiati adhibiti sint testes alicui contractui, vel testamento, & postea circa illud lis judiciaria oriatur, non possunt amplius munus ferendi testimonij in Judicio declinare super illo contractu, vel testamento, in quo sunt ro-

Tomus II.

gati, ut sint testes; quia, ex quo liberè acceptarunt munus testis, videntur renunciassè excusationi; seu privilegio huic. *Gl. in cit. l. Inuiti; V. Non licet; circa fin. ff. de testib. Farinac. n. 114.* Secundò. Privilegiati vocati ad testificandum non coguntur personaliter accedere ad Judicem, etiam si veritas aliter sciri non possit, quam per illos: quamvis si Judex mittat Notarium ad eorum domos, non possint recusare munus testificandi. *Farin. c. l. n. 111.* Porro, quod mulieres, ut ad Judicium etiam testimonij ferendi causà, personaliter veniant, compelli non debeant, quamvis venire possint, si velint, sed, si opus sit, Notarius, vel alia persona idonea, eas adire debeat; qui testimonium earum cum juramento excipiat, dictum est (suprà tit. 1. n. 20. & 21).

XXIII. Assertio 2. Parentes contra liberos, & liberi contra parentes, nec inviti cogi, nec volentes admitti debent, nec etiam pro se. *l. Parentes; 6. juncta Gl. V. Adversus se; & V. Nec volentes; C. de testib. c. Si testes; 3. §. Parentes; caus. 4. q. 3.* ubi per parentes, & liberos intelliguntur ascendentes, & descendentes in infinitum; per lineam paternam, & maternam, & siue sint liberi in potestate, siue non. *Gl. in cit. l. Parentes; V. eod.* Excipitur, nisi alij testes haberi non possint, & in atrocissimis criminibus, ut læsæ Majestatis, hæresis, veneficij, aliisque exceptis. *Farinac. tract. de testib. q. 55. n. 170. & aliquoi seqq. vel, si pars utraque, pater, & filius consentiant, ut filius volens contra patrem examinetur, vel hic contra illum. Farinac. cit. q. 54. n. 26.*

Similiter affines illi, qui sibi ad instar parentum, & liberorum sunt, non solum non possunt cogi ad ferendum testimonium contra se invicem; sed nec volentes admitti debent, ut socer; & socrus; gener, & nurus; vitricus, & noverca; privignus, & privigna; patruus, & amita; avunculus, & matertera; sobrinus, & sobrina; & similes; prout habetur in *l. In lege; 4. ff. de testib. junct. Gl. V. Sobrina; & V. Priori. Farin. cit. q. 78. n. 82. & 83.* neque etiam liberti contra patronos, & vice versà, neque hi contra illos cogi possunt ad testificandum. *cit. l. In lege; imò nec sponsus filie contra sponsam patrem. l. In legibus; 3. ff. eod. Farinac. cit. q. 78. n. 89.* sic nec uxor potest cogi ad testificandum contra maritum, nec hic contra illam. *Farinac. cit. q. 54. n. 219. & q. 58. n. 88.* Verumtamen alia ratio est de aliis consanguineis collateralibus, & affinibus; qui, licet ordinariè non possint cogi ad testificandum contra suos consanguineos in causa civili, vel criminali, volentes tamen admittuntur. *Farinac. cit. q. 54. n. 15. & 16.* saltem in causis civilibus. Imò & frater contra fratrem, etsi invitus cogi non potest, ad testificandum; admittitur tamen volens. *Farinac. c. l. n. 105.* Competit autem hoc privilegium non compellendi testes consanguineos, tantum consanguineis propinquis usque ad quartum gradum exclusivè, non autem remotioribus. *Farin. c. l. n. 19. & 23.* multò minus frater contra fratrem ordinariè cogi potest ad testificandum; praesertim in criminalibus, imò nec in civilibus causis. *Farinac. cit. q. 54. n. 97. & 98.*

XXIV. Assertio 3. Clerici non possunt à seculari Judice vocari, aut cogi ad ferendum testimonium in quacunque causa criminali, vel etiam civili, c. statutum 38. caus. 2. q. 6. junctà *Gl. V. ad testimonium; Farinac. cit. q. 78. num. 74. & alij apud ipsum.* Idque

C c c

ex eo

ex eo vel maxime, quod testes iurati esse debeant. Clericus autem coram Iudice seculari, absque Episcopi sui licentia, jurare non debet. *c. pen. caus. 12. q. 5.* & ibi *Gl. V. Laico.* sin autem necessitas postulet, quia alij tam idonei testes haberi nequeunt, tunc cogi possunt etiam Clerici ad testificandum, *c. Quamquam 2.* & ibi *Gl. V. Occulterur; caus. 14. q. 2. Farinac. c. l. num. 77.* Et tali casu, vel ipsemet Episcopus rogatus à Iudice seculari examinabit Clericum, cuiusque depositiones ad Iudicem secularem mitteret: vel, si ita ei videbitur, Clericum ablegabit ad Iudicem secularem, ut coram ipso, sicut Clerici solent, Iuramentum, ac testimonium præstet, iuxta *cit. c. 2. caus. 14. q. 2. iunct. Gl. V. Aut aliter:* iurando nimirum in manibus alterius, ex commissione, & licentia sui Episcopi: quemadmodum hoc ipsum observari solet, si testes ex alieno territorio rogentur. *Abb. in c. Nunciatus; 12. num. 3. supr. de testib. Gail. cit. obs. 100. num. 16.* Deinde Clerici possunt etiam cogi ad testificandum, si probetur, quod se subtraxerint gratiâ, odio, vel timore, quamvis ex eo solum, quod Clericus recuset testimonium ferre, non præsumatur id malitiosè facere. *Farinac. c. l. num. 76.*

XXV. Præterea Clericus ordinariè compelli non potest, ut contra Ecclesiam suam, coram ordinario Ecclesiastico Iudice, testimonium ferat, propter coniunctionem, & reverentiam, quam gerit erga Ecclesiam suam. *Arg. l. In lege Julia 4. ff. de testib. ubi cavetur, ne invito denunciatur, ut dicat testimonium litis, sive iudiciale contra sanguine, aut affinitate proximè coniunctos: si tamen aliter, seu per alios testes veritas, cognosci nequeat, tunc etiam contra Ecclesiam Clericus testificari cogitur; quia privilegium, seu favor iuris hoc casu cessare debet, ne veritas occultetur. *Abb. c. l. num. 3.* & quia testes iurare debent, quod velint dicere omnem veritatem pro utraque parte; ideo, si Clerici producantur, ut testes, pro Ecclesia sua, coguntur etiam testificari, seu deponere contra ipsam; ut tradit *Gl. communiter recepta; in c. Cum nunciatus 12. V. Repellendi; de testib. Abb. ibid. num. 2.* actoris enim, & retri qua debet esse conditio.*

Non obstat, quod filij contra parentes, & vice versa, hi contra illos, nec volentes admittantur: Clericus autem censetur esse filius suæ Ecclesiæ: ergo non tantum invitatus cogi non debet, sed neque volens ad testimonium contra illam admitti. Nam responderetur, id quod statutum est de carnalibus parentibus, & liberis, ut contra se mutuo, nec volentes quidem, admittantur ad testandum, non debet extendi ad spirituales; cum enim edictum de testibus sit prohibitorium eius, quod iure communi concessum est, videlicet, ut omnes habeant liberam facultatem testificandi (ideoque strictæ interpretationis esse debeat) non est extendendum ultra casum expressum. *Gl. in cit. c. Cum nunciatus. V. Repellendi. iunct. Gl. marg. & Abb. ibid. num. 2.*

XXVI. Postremò hoc loco addendum est, quod de testibus Synodalibus statutum habetur in *c. Præterea; 7. h. t.* ubi Papa Cælestinus III. ita rescribit: Si testes publici (qui Synodales in quibusdam locis vocantur) coram Ordinario (Episcopo scilicet) vel eius Capitulo, testimonium tulerunt, super causâ matrimonij (vel alia quadam) & postea causa illa alicui Iudici delegatur, non debent

ij compelli, ut coram eo super eadem causâ iterum præstent Iuramentum: nisi Iudex veritatem aliter cognoscere nequeat, vel, nisi novus articulus questionis emergat: possunt tamen huiusmodi testes publici, propter infamiam ipsius supervenientem, postquam in communi synodo recepti, ac deparati sunt, à testimonio ferendo repelli. Denique, si testes isti, re non rectè consideratâ, in testimonio ferendo erraverint, & incontinenti se correxerint, reprobari non debent, sed admittendi sunt: sequens si ex intervallo se corrigere velint.

XXVII. Pro intellectu huius *c. Notandum* primò. De his testibus synodalibus extat decretum in *c. Episcopus 7. caus. 35. q. 6.* in quo statuitur, ut Episcopus in synodo septem viros, vel etiam plures, si ita expedire ei visum fuerit, ex plebe maturiores, honoratioris, ac veracioris constituat, qui iuramento se astingant, quod, quæcunque intellexerint in Dialecti fieri contra DEI voluntatem; & re etiam Chæritatem, si ad Episcopalem jurisdictionem pertineat, Episcopo, vel eius Legato fideliter, ac sincerè denunciare velint, quatenus ea cognita habent. Sunt autem huiusmodi testes synodales, seu in synodo constituti, non propriè dicti testes, cum non iurent in præsentia partis; sed potius denunciatores publici, seu ex publico officio obligati, & iurati. *Abb. hic n. 1.*

Notandum secundo. Testes synodales, qui semel coram Iudice Ordinario deposuerunt, non possunt compelli, ut coram delegato super eadem causâ iterum iurent, & examinentur; ac deponant, nisi in defectum probationum; quia veritas aliter haberi non potest; vel nisi talis testis examinandus sit super novo aliquo articulo emergente; ut habetur in hoc *c. Ratio est; quia, qui iurant aliquod officium exercere, eorum Iuramentum ad totum tempus, quo obstant in officio, se extendit, sive coram Ordinario, sive delegato causa tractetur. *Gl. hic V. Iuratio.* Hinc generaliter inferitur, quod, qui semel testimonium tulerunt in aliqua causâ, non possunt iterum cogi ad testificandum in eadem causâ, nisi in defectum probationum, ne forte postea contraria deponant ipsi, quæ prius testificati sunt. *Abb. hic num. 2. Farinac. c. 9. 78. num. 49.* Idque generale est in omnibus Officialibus, qui jurant officium aliquod exercere, sive sint testes, sive Iudices, sive tabelhiones, vel nuntij; ut ex Hostiensis notat *hic Gl. marg. lit. g.**

XXVIII. Notandum tertio. Propter infamiam repellitur quis ab officio publico; præsertim Ecclesiastico; ut colligitur ex *h. c. & notat Abb. hic num. 2.* quia Officialis publici, præ alijs, debent esse veraces, & iustitiæ amantes. Vnde, etiam tales testes propter infamiam repelluntur à testimonio ferendo, aut denunciando. *Gl. hic V. Removeri.*

Notandum quarto. Testes incontinenti, id est, antequam ex Iudicis conspectu abeant, vel alia negotia aggrediantur, possunt dictum suum corrigere, seu errorem revocare; non autem postea, seu ex intervallo; ut colligitur ex hoc *c. & dictum iii. præced. num. 159.* quamvis in hac re Iudex etiam attendere debeat ad modum correctionis, spectatâ qualitate personæ, temporis interiectionis, & alijs circumstantijs, secundum quas Iudex quandoque correctionem testis admittet, quandoque non. *Innot. hic n. 2. Abb. n. 12. Felin. n. 12.*